

batur, quod eodem tempore concordiae nomen sermonibus Cæsar usurpans cuncta ad bellum summo nixu compararet, atque expediret. Itaque Franciscus rem omnem Joanni Baduario Legato aperit, acriusque ad bellum incitatus in Morinis ad Ardresium oppidum in colloquium cum Anglo descendit; pacem nuper sanctam firmat; Venetorum amicitiam omni officiorum genere fovet; ut nuper sibi natæ filiae sacro fonte abluendæ adsisteret, Senatum invitat, Legato id muneris ejus nomine obeunte.

*Colloquium
inter Gal-
liæ, & An-
glie Reges.*

Ceterum Pontificis animus nunquam acquiescere, novis assidue rebus studere, plura in speciem, quæ ad pacem attinerent, Reipublicæ ostentare, in id omnes nervos intendere, ut imperii amplificandi, nominisque provehendi materiam pararet. Quæ cum eo spectarent, ut iterum turbatis rebus, in novas bellorum procellas Italia conjiceretur, Senatum in summam suspicionem adduxerant, ne cum Gallo Pontifex arctiori vinculo junctus Rempublicam in ingentes difficultates impelleret; cum inter cetera, ut perduelles, ac facinorosi homines a mutuis regionibus hinc, atque inde communibus armis summoventur, poenisque afficerentur; quo Estenses Ferraria pelleret, Italica societate caveri vellet. Quibus permoti Patres, qui antea mandata subscribendi foederis Oratori dederant, S. C. revocarunt, Regique significarunt, mirari nova suboriri quotidie impedimenta, ut non propugnandæ Italiæ, sed belli excitandi his foederibus a Leone fundamenta jacerentur; dum tantum non aperte Cæsarem, provinciasque, quibus belli faces admoverentur, designaret. Quid vero quod perduellionis, & criminum reos persequi omnibus modis statueret? id enim præterquam quod plurimum rationibus Reipublicæ officeret, cujus militum Præfecti exteris provinciis orti publica stipendia facerent, aperte innuere, illius animo, ut Ferrariensis Dux avito imperio pelleretur, penitus infedisse; quæ quantum momenti habitura essent, nemo non videret; dum de communi firmanda societate, ac ne Cæsar in Italiam arma inferret, actum fuit, ultro, ac lubenti animo Senatum assensisse: modo non de tuenda Italia agi, sed ut cuncta bellorum tumultibus misceantur, quæ ex pactationibus Regi Senatus teneretur, alacri animo præstaturum; iis, quæ a Leone proponerentur nullo pacto aures præbiturum. Itaque foedus quam-

*Veneri Fo-
scaro adi-
munt man-
data fæde-
ris subscri-
bendi.*